

**1323-1323- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Barchinonam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Barchinonam celebrati  
 anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · XXIII<sup>o</sup> ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet vero prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ydoneos ad studendum, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: quod si aliqua dictarum provinciarum etc.

Item hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur: condignam agat penitentiam, addatur sic: si quis vero peccatum contra naturam commiserit, pro qua deberet convictus in seculo pena mortis merito condemnari, carcerali custodie perpetuo recludatur.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: si vero, medio tempore, deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitor habeatur, et dicatur sic: si vero dictum diffinitorem ad capitulum non venire aut presentem mori, aut impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco ipsius diffinitor habeatur, nisi tunc supervenerit diffinitor, qui non obstante incepta diffinitione per socium ipse, diffiniat illa vice, et socius illi cedat.

Item hanc: Cum ordo noster debeat se sancte Romane ecclesie, in quantum est possibile, in divino officio conformare, et in eo precipue, quod per nostrum ordinem de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat · va · feria post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitibus annotetur.

Item. In capitulo de apostatis, ubi dicitur: qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri legitime et sententialiter mancipatus, ad vocem restitui non possit, sine licencia magistri ordinis specialis; que restitucio non fiat per eundem ante sex annos.

Et volumus et ordinamus, quod omnes et singule inchoaciones supradicte et approbaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

**Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de graviore culpa, ubi dicitur: si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur sic: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis vel priorum provincialium seu eorum sigilla falsificaverit vel falsificatis usus fuerit scienter aut in prelatum suum manus temere violentas iniecerit aut quemcumque letaliter seu graviter et atrociter percusserit aut infra septa monasterii arma supra se invasiva indebite portare presumpserit aut aliquid predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo ubi dicitur: si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse deprehensus fuerit, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: precipiatur ei in virtute sancte obediencie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorundem, ut a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine habeatur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institutione supprioris, ubi dicitur circa finem: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et vocem in electionibus habentes.

Item. Et in eodem capitulo, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam comedant et bibant, eligere teneantur renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: In ordinario et rubrica de festo trinitatis, ubi dicitur: usque ad vespas sabbati sequentis exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: feria · iiiia · exclusive, et addatur: feria · va · post festum trinitatis fiat officium de corpore Christi totum duplex cum octavis; quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis, preter diem octavam memoria tantum fiat; si autem istud festum et nativitas sancti Iohannis eadem die evenerit, in observancia eorum nos matri ecclesie conformemus. Et hoc in ordinario in locis debitibus annotetur.

**Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: quod nullus recipiatur infra decem et octo annos, de fratribus conversis dumtaxat recipiendis intelligatur.

Item. Declaramus, quod ad priorem non spectat ordinare vel ullatenus se intromittere de die instituendo vel tempore eorum, que ad tractatum capituli sunt agenda.

Item. Declaramus, quod si quis predicator generalis existens voce privetur, non propter hoc intelligitur privatus fore officii potestate, sed usu sigilli dumtaxat eo tempore, quo voce privatur. Si vero omnibus graciis ordinis privetur simpliciter, eiusdem eciam officii potestate et usu simpliciter est privatus.

Insuper declaramus, quod predicatorum generales, quando instituendi sunt, debeant in actis capituli promulgari et non per literas fieri; et si qui hactenus per literas facti sunt, pro non factis habeantur.

**Iste sunt ordinaciones et admoniciones.**

Cum in multis conventibus invenerimus constituciones nostras corruptas esse vel simpliciter non haberi, imponimus prioribus et supprioribus universis, quatenus dictas constituciones infra annum a recepcione

presencium in suis conventibus habeant integras et correctas. Si qui vero inventi fuerint hoc neglexisse, volumus et mandamus, quod in penam a suis officiis absolvantur et nichilominus de bonis appropriatis ipsorum constitutiones prefate de bona litera ibi fiant integre et correcte.

Item. Cum ieiunium sancte crucis propter indiscretas dispensaciones in multis conventibus notabiliter sit collapsum, volumus et mandamus, quod inviolabiliter ab omnibus observetur, nec priores seu eorum vicarii secum vel cum aliis audeant dispensare, nisi causa evidens et rationabilis hoc exposcat; et insuper cum iuvenibus non sacerdotibus dispensetur, prout et quando, qui preest indicaverit convenire; et imponimus visitoribus universis, quod de huiusmodi transgressione diligenter inquirant; et si quos invenerint notabiliter excessisse, tales in penam ante lectionem actorum in sequenti provinciali capitulo absolvantur.

Item. Quoniam multa religionis dissipacio sequitur, cum priores a sequela communitatis notabiliter se absentant, volumus et ordinamus, quod priores, qui quantum ad chorum, refectorium et dormitorium communia non sequuntur, per priores provinciales in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Quia exigit iusticie rectitudo, ut integraliter creditoribus restituatur pecunia mutuata, volumus et ordinamus, quod si quis per se vel per alium mutuum contraxerit, quod statuto tempore solvere non possit, pena graviori culpe debita puniatur, quam ad minus per unum mensem facere teneatur.

Item. Quia libri sunt profectui studencium singulariter opportuni, volumus et ordinamus, quod libri in catenis vel armario communi usui deputati per priores vel eorum vicarios sive per conventum impignorari, vendi, commodari vel quomodolibet alienari non possint; si qui vero contrarium fecerint, cogantur per priores provinciales de bonis sibi appropriatis valorem libri seu librorum pro communi armario deputare.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio capituli Rothomagi de fratribus, quod se de medicinalibus nullatenus intromittant<sup>1</sup>, et ordinationes in precedenti capitulo Viennensi facte de interdicto servando cum penis ibi positus penitus observentur<sup>2</sup>.

Item. Quod ordinacio facta in capitulo Caturcensi contra infamatores et detractores cum penis ibidem adiectis immobiliter observentur<sup>3</sup>.

Item. Cum ars, que alchimia vocatur, sit in pluribus capitulis generalibus districte et sub gravioribus penis prohibita, et adhuc ex hoc in diversis locis ordinis pericula scandalosa surrexerint, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute spiritus sancti et sub pena excommunicationis late sentencie, fratribus universis, quod nullus in dicta arte studeat vel discat, operetur vel faciat operari, et scripta de ea, si que habet, nulla teneat, sed infra octo dierum spacium a noticia presencium ea destruat et comburat; in secus autem facientes sentenciam excommunicationis incurrant, quam magister ordinis in capitulo tulit publice in scriptis et eos nichilominus, de quibus legitime constiterit, ex tunc adiudicat custodie carcerali. Si qui tamen tales aliquos sciverint operari et prelati suis non manifestaverint, pene gravioris culpe debita subiacebunt.

Item. Quia in quibusdam provinciis invenimus fratres conversos colorem in parvis scapularibus non servare, qui in nostris constitutionibus edocetur, quapropter a fratribus clericis in colore minime vel modicum distinguuntur, ordinamus et inhibemus districte, quatenus parva scapularia ita patentis grisei coloris deferant, quod a scapularibus clericorum clarissime distinguantur. Qui vero post mensem a noticia presencium contrarium fecerint, ex tunc teneantur in pane et aqua diebus singulis ieiunare, quousque plenam correctionem fecerint de predictis. Insuper volumus et mandamus, quod priores eorum, nisi in predictis correxerint delinquentes, eandem penam teneantur et debeant adimplere. Eadem eciam penam imponimus quantum ad conversos formam constitutionis in maioribus scapularibus non tenentes et quantum ad priores, qui iuxta modum predictum et tempus taxatum eos non coegerint ad servandum.

Item. Cum fratres aliqui in confusionem ordinis et dampnationem animarum suarum correctionem de se vel de aliis fiendam vel iam factam procurent impedire et gravamina inferri aliis fratribus per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, volumus et ordinamus, quod quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis ac diffinitores capituli generalis.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus mittat vel mitti procuret aliquem fratrem ad studium generale, quem scit aut verisimiliter credit insufficientem et ineptum ad scienciam vel malum in vita.

Insuper mandamus et inhibemus districte arcendo consciencias singulorum, quod nullus ad lectoriam principalem vel lectionem sentenciarum in quocumque conventu promoveatur vel promoveri per aliquem procuretur, nisi prius de aptitudine et sufficiencia ad actus prefatos et de laudabili vita in moribus, qui promovere habuerint, per veritatis testimonium informentur.

Item. Quoniam multi ambicione detestabili elati sibi indebite honores querunt et importune a personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis, unde turbacio et scandala sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se vel per alium, verbo vel scripto, officium, statum, gradum vel promocionem aliquam pro se sive pro alio in ordine vel extra ordinem impetrandam.

---

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 122 l. 13 sqq.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 140 l. 10 sqq.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 115 l. 1 sqq.

Insuper eodem precepto astringit illos, qui quantum ad premissa procuraverint aliquem impediri vel ab adeptis ullatenus amoveri. Qui vero contrarium fecerint, sententiam excommunicationis late sentencie ipso facto se noverint incurrisse, quam sententiam prefatus magister iuridice protulit in publico capitulo Barchinone de diffinitorum consilio et assensu<sup>4</sup>. Volumus autem et districte mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus de predictis diligenter inquirent, et si quos inveniant preterito tempore deliquisse, iuxta constitutionis nostre tenorem denuncient eos voce privatos et nichilominus eos deferri faciant ad sequens capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis fratrum nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere, neque de suo conventu iter assumere cum intencione ad eandem curiam Romanam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali, concedit tamen magister singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis et de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

Item. Volumus et mandamus, quod illud verbum, quod sic in martyrologio ponitur: · xiiii · kalendas aprilis apud Vezelliacum translacio sancte Marie Magdalene, inde penitus deleatur.

#### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priores provinciales Theutonie, regni Sicilie et provincie Provincie.

Item. Absolvimus priores conventuales Maioricensem, Sagocensem, Pampilonensem, quos in penam absolvimus, quia a sequela communitatis se notabiliter abstraxerunt.

Item. Cesaugustanum, quem eciam in penam absolvimus, quia instante tractatu de socii electione fratres aliquos denunciavit voce privatos, cum tamen causa privacionis debita non subesset, sicut per magistrum ordinis et diffinitores in capitulo publice extitit declaratum.

Item. Tarraconensem. Et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti non possint resumere in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

#### **Iste sunt penitencie.**

Quoniam fratres Iacobus de Buscho, prior Coloniensis de provincia Theutonie, priorem provinciam Dacie redeuntem de capitulo preterito Viennensi male recepit et irreverenter tractavit, eum a suo officio in penam absolvimus.

Item. Fratrem Simonem, vicarium provincie Ungarie, quia diem electionis prioris provincialis instituit, in quo impossibile erat diffinitori capituli generalis eiusdem provincie et socio ipsius interesse, nisi obmisso itinere ad capitulum generale, in penam absolvimus a dicto officio vicarie.

Notum facimus fratribus universis, quod fratres Pomenum, Blasium, Eliam et Iohannem de provincia Boemie, qui fuerunt in capitulo generali Lugdunensi puniti et de sua provincia remoti et graciis omnibus privati<sup>5</sup> et fratres Casimirum, Huslanum, Littaldum, Ciborium et Noylaum, qui voce privati fuerunt in capitulo generali Florencie celebrato, restituimus ad vocem et ad gracias ordinis supradictas, necnon et emissos ad ipsam provinciam Boemie revocamus.

Assignamus ad legendum Parisius sententias fratrem Iohannem Fortem de provincia Aragonie. Damus in vicarium provincie Provincie fratrem Bernardum Lombardi, priorem Avinionensem<sup>6</sup>. Summa missarum pro vivis quinquaginta due misse. Summa missarum pro defunctis viginti due misse. Pro qualibet missa superius posita clericus non sacerdos septem psalmos cum letania, et quilibet conversus centum pater noster cum totidem Ave Maria dicat.

Concedimus provincie Aragonie unam domum, ubi provinciali cum diffinitoribus visum fuerit expedire. Item. Provincie Ungarie concedimus duas domos: unam in Braso, aliam in Gaza ponendas.

Committimus magistro ordinis ordinationem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie disponat, prout communi utilitati ordinis viderit expedire.

Sequens capitulum generale assignamus apud Burdigalam in provincia Tolosana; et ordinamus, quod diffinitores, qui ibi diffinient, veniant die dominica infra octavas ascensionis domini.

Nullus, quamvis habeat licenciam ad capitulum veniendi, intret locum capituli nisi feria sexta ante festum pentecostes. Quicumque autem loco capituli appropinquaverint vel de conventu suo cum intencione veniendi ad capitulum recesserint sine licencia, ex vi presentis ordinationis sciant se per biennium voce privatos.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis cum pueris eorumdem in redeundo de capitulo generali bene recipiantur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXV.

<sup>4</sup> Cf. supra pag. 114 l. 21 sqq.; loco "Barchinonae" legas "Caturci".

<sup>5</sup> Cf. supra pag. III l. 31 sqq.

<sup>6</sup> De fr. Bernardo Lombardi cf. SSOP. I. pag. 560.